

Laudabat Socrates has antiqui poëtae preces: *O Jupiter! ea quae bona sunt, nobis orantibus, aut non orantibus, tribue: quae vero mala, etiam orantibus ne concede.*

CAPUT XIV.

HOMO PRAECIPUUM OPUS DEI.

1. Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem, praeclara quadam conditione generatum est a supremo deo. Solum est enim, ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis et cogitationis, quum caetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra, ratione divinus? Quae quum adolevit atque perfecta est, nominatur rite sapientia.

Propter ingeneratam homini a deo rationem, est aliqua ei cum deo similitudo, cognatio, societas. Itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata, videantur. Artes vero innumerabiles repartae sunt, docente natura: quam imitata ratio, res ad vitam necessarias sollerter consecuta est.

2. Ipsum hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tanquam satellites attribuit, ac nuntios: et rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias enudavit, quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporis habilem, et aptam ingenio humano dedit. Nam quum caeteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad caeruleum, quasi cognitionis domiciliique pristini, conspectum excitavit.

Pronaque quum spectent animalia caetera terram;

Os homini sublime dedit, caelumque tueri

Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Plato in Aleib. 2 p. 45 D. — Cap. XIV. Cic. Legg. 1. 7. — Cap. 8. — Cap. 9. — Ovid. Met. 1. 84 ss. — Cic. Legg. 1. 9.